



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia
Sacra**

Montmorency, François de

Antverpiae, 1638

Canticum Simeonis. Nunc dimittis seruum tuum Domine. ex Luc. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

CANTICVM

SIMEONIS.

Luc. 2. cap.

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace:

Quia viderunt oculi mei salutare tuum,

Quod parasti ante faciem omnium populorum:

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

CAN-

A R G V M E N T V M.

Voti compos factus SIMEON, accepto in vlnas puerulo I E S V, cygneum hoc Melos ante optatam mortem canit.

H *Vius vsuram Deus alme lucis
(Quod bonâ fiat veniâ) resigno,
Post tot ætatis tibi mancipatos
Hactenus annos.*

*Nox meis posthac oculis suprema
Grata continget, quibus annuisti
Pignus æterna prius intueri*

*Posse salutis,
Sanctus humanâ quod Amor figurâ
Vestijt, solers Hominis Dei que
Pace naturas stabili nono que
Iungere nexu.*

*Scilicet cunctis populis vt esset
Obuius, nec difficilis parari,
Qui laborantes ope Sospitator
Seruet amicâ.*

*Lumen ô quantum venit vniuersis
Gentibus! pluris tamen æstimanda
Surgit Israëligenis tuæ que
Gloria plebi.*